ENGELBERTUS ADMONTENSIS

Klosterneuburg, 1384 Seite 118v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ordinacionem continuant perseverabunt et perseverant
continuabuntur successiones dierum et temporum seculi a mundi
initio usque in finem perfinitum ad implendum succes-
sive numerum electorum ut tunc impleatur expecta-
ta consolatio iustorum et postulatum superius de persequen-
tibus iudicium. Et ita tam predicti versus duo quam re-
tractus videntur satisfacere et rendere interrogationibus
precedentis octonarii. Ubi dixit Quot sunt dies servi tui
quando facies de persequentibus me iudicium. Confirmavit enim in primo
versu huius octonarii quod liberator iustorum et iudex persequen-
tium deus non deficiet nec mutabitur voluntate vel
potestate a liberando et iudicando confirmavit in secundo
versu quod ecclesia non delinquit a christo nec christus delinquet
ecclesiam quando in ipsa et cum ipsa permaneat gubernando
et in finem sustentando confirmat itaque nunc quod
temporis continuata et continuanda successio perseverabit
et non interrumpetur nec deficiat donec predicta in perfinito
tempore impleantur secundum illud Luc. xxi. Non preteribit generatio
hec donec omnia fiant et quod temporis et dierum succes-
sio non casu vel necessitate sed divine voluntatis ordinatione
tali perseverent probat in toto in parte cum dicit Quoniam
omnia serviunt tibi. Si omnia ergo dies et tempora et si ser-
viunt tibi ergo movetur ad imperium voluntatis domini et
non casu vel necessitate sicut quidam ex deterioribus philosophorum
fuerunt opinati. ¶ Ordinacione tua et. Omnia in
mundo fiunt ordine certo. Unde Aug. in libro de or-
dine rerum. Ordo est quo deus cuncta agit et quo cuncta
adeo agunt. Unde apud deum quis scit et novit causas
contingentium ut tales et ut talium ipsa contingentia
et casualia ordinata et determinata sunt licet nobis ignoran-
tibus causas et concursus causarum contingentium ipsa contingentia
et casualia indeterminata et incerta sint. Nec tamen
ideo fiunt omnia de necessitate quia deus non aliter previdet aut
preordinat res quam fiunt secundum causas suas sed
previdet et preordinat necessaria per causas necessarias et contingen-
tia ut contingentia per causas contingentes. Cuius signum est quod
eclipsis solis vel adventus pluvie in die serena
vel occursus duorum hominum de longinquo venientium
ad talem locum tali die et hora nescientibus causas
illorum effectuum videntur simpliciter casualia sed scienti
causas eclipsis et adventus pluvie et initium et processum
vie quo die vel tempore utrique viator movit iter a loco
suo nec eclipsis nec pluvia nec concursus viarum sim-
pliciter sunt casualia sed ex causis suis determinata
licet differunt secundum differentias causarum nec tamen illa scientia impo-
sunt necessitates illis effectibus quia prescivit eclipsim vel
pluviam prescivit ut necessaria per causas necessarias evenire
et qui prescivit occursum viatorum tali die vel hora
ad talem locum prescivit hec contingenter per causas contingentes
accidere. Unde quia prescit deus prescit et preordinat cum causis
suis quibus mediantibus pervenerunt in effectum. Unde licet
abraham per missionem divinam acceperit de utilitate
ysaac et semine in ipso accipiendo nichilominus cum rebecca
urgeretur in partu precibus ysaac vatus est iacob et
salvatus puer. Unde dicit Greg. in libro dyalogorum quod ea que circa
sanctos a deo predestinata sunt ita predestinata sunt ut eorum
precibus vel meritis obtineantur et Aug. in libro de cor-
reptione et gratia dicit quod licet quod solius dei miserentis sic
collatio gratie ad correctionem hominis tamen correctio pre-
latorum ad subditos propter hoc non debet esse ociosa quia pul-
sando et impulsando preparat et excitat mentem ad
gratiam quam sic confertur ut mediante predicatione
et correptione conferatur quia licet qui plantat et qui
rigat non sit aliquid aliquid tamen facit ad hoc quod deus
efficiat ita ut eius meritum in hoc magnum sit quia dei
cooperatores sunt prelati et predicatores. ¶ Ordi-
natione ergo divina cuncta movent per potentias
dantem mobilibus et moventibus virtutem et cuncta
disponunt per sapientiam providentem ne quid fiat in
ordinate per errorem et cuncta gubernant per beni-
volentiam ut omnia attingant a deo pro visum finem.
¶ Perseverant dies secundum seculi a mundi initio usque

Perseverant dies